

Franckesche Stiftungen zu Halle

Der beeden berühmten holländischen Theologen, D. Campegii Vitringä und D. Johann Meyers verschiedene Gedanken über die letzte Weissagungen Ezechiels ...

Metzler, Johann Benedict

Frankfurt und Leipzig, 1760

VD18 1318590X

Sectio III.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213055

nondum impleta, sed implenda: 149

quoque discrepant, nec in diebus Esræ fuerunt observata.

Cap. V. Promissa & præcepta illa c. 43, 1-19. c. 44, 1-4. 9. seq. c. 46, 1-3. 8-12. nec non c. 47, 1-12. de aquis e Sanctuario prodituris, earumque effectis, non conveniunt Templo secundo.

SECTIO III.

Prophetia Ezechielis c. 47, 13 seq. usque ad libri finem de nova terræ distributione, neque secundum litteram sub Templo secundo, neque sensu mystico hactenus in ecclesia novi Testamenti impleta est.

Cap. 1. Promissiones illæ Ezech. 47, 13. 14. 22. 23. c. 48, 1-7. 23. seq. quod omnes duodecim tribus e captivitate reversuræ, & inter eos dividenda terra sancta, singulæque tribus suas proprias atque æquales possessiones sint habituræ, & peregrini simul heredes terræ futuri, luculentum nobis præbent argumentum, hæc non contigisse post solutam captivitatem, nec hactenus impleta esse sub N. T.

Not. Totum hoc caput ut huc transferatur, consultum esse & lectori gratum fore arbitror.

DE divisione terræ Ezechiel agit cap. 47, 13. seq. Sic dixit Dominus DEUS: hic est terminus, ad quem hæreditabitis terram, juxta duodecim tribus Israelis; Josepho (duo erunt) funes. Deinde seorsim omnes istas tribus recenset, secundum nomina sua, & ordinem, quo hæreditatem assignatam adibunt c. 48, 1-7.

℞ 3

23.

23. seq. Grotius, qui hæc ultima vaticinia ad tempora Esræ refert, scripsit: *Hæc assignatio, & quæ sequitur capite postremo, locum habitura fuisset, si decem tribus non minus quam Judæ & Benjaminis, se ad Deum convertissent; sic enim pariter impetrassent reditum. Nunc pauci tantum permixti Judæ & Benjamini rediere, iique sedes cum illis habuere communes. Eadem fere Grotius habet ad c. 37, 19. ubi addit: In omnibus promissis & minis Dei tacitam subesse conditionem, ipse dixit Ezechiel 37, 13. Jer. 18, 9.*

II. At vero ex toto contextu liquet, has promissiones esse absolutas. Conditionis istius, *si se ad Deum convertissent*, nec vola nec vestigium extat c. 47. neque ulla mentio cap. 37, 13. Dispar ratio est Jer. 18, 9. ubi de externa felicitate & calamitate, de beneficiis & judiciis agitur, (quo casu promissiones & minæ solent esse conditionales,) non autem de promissis gratiæ absolutis, quibus Deus ipsas requisitas conditiones largitur, sicut Deut. 30, 6. Jer. 32, 39. & noster propheta Ezech 43, 7. pollicetur fore, ut hoc tempore *non polluant amplius domus Israelis nomen sanctitatis suæ &c.* Et frustra Deus apud Ezechielem tam accurate cunctos totius terræ Israelis terminos determinasset, si tribus decem nunquam reversuras intellexisset.

III. Falluntur illi omnes, qui restitutionem tribuum futuram ac generalem Israelis conversionem in dubium vocant, quive decem tribus, aut maximam harum partem, cum
Juda

Juda & Benjamin tempore Esrae in patriam regressam esse credunt. Universalem omnium tribuum conversionem futuram probant sexcenta oracula, luce meridiana clariora, ex quibus haec pauca allegare lubet Levit. 26, 40. 45. Deut. 4, 27. 28. cap. 32, 36. seq. Jes. 11. & cap. 59. seq. Jer. 30, 31. 32. 33. Ezech. 37, 38. 39. Hof. 1, 2. 3. Mich. 4. Zephan. 3. Zach. 14. Malach. 3, 6. Haec & similia oracula ad novissima tempora N. T. pertinere, manifestum est diligenter ista loca evolventibus, idemque disertis verbis testatur Apostolus Rom. 11. ubi loquitur de *toto Israele salvando*; Israele scilicet secundum carnem, quod oppositio *Gentium* postulat: *πᾶς* *omnis* non paucitati convenit, sed *universitatem* infert. Errant, qui verba Pauli de successiva conversione diversis seculis usque ad finem mundi eventura, & loca V. T. ab Apostolo allegata de primo Christi adventu, accipienda esse, censent; quum vis & emphasis verborum exigat simultaneam & universalem conversionem Israelis, sub novissima mundi tempora futuram & adhuc expectandam; & oracula illa Jes. 59, 20. Jer. 31, 33. ultima spectent tempora, quamvis ad alia quoque possint referri.

IV. Tempore Esrae & Nehemiae in solum patrium regressae sunt tribus Judae & Benjamin a Nebucadnezare Babelen deportatae, nec non Sacerdotes ac Levitae, Esrae 1, 5. cap. 2, 1. 2. 3. cap. 4, 2. 3. cap. 7, 7. cap. 8, 15. seq. Neh. 7, 6.

haud pauci tamen Judæi in Babylonia mansere, multique post Ægyptum concesserunt. Decem vero tribus ab Assyriis deportatæ 2 Reg. 15. & 17. in patriam non remigrarunt usque ad diem hunc, inquit Esra 1 Chron. 5, 26. Ad quæ verba Kimchius adnotavit: *Non enim egressi sunt, cum captivitas Jebudæ egrederetur Babel.* Et ad 1 Chron. 9, 1. scripsit: *Reliquæ tribus (decem) non reversæ sunt sub domo secunda, exceptis paucis tribuum Ephraim, Manassis, Issacharis & Zebulonis, relictis cum regibus Jebudæ usque ad captivitatem, qua cum illis deportati sunt, & reversi tempore Esræ.* Et hi pauci ex decem tribubus in terram Israelis tempore Esræ regressi numero duodecim millium designari videntur Esræ 2, 64. ubi omnes reduces dicuntur *quatuor myriades, bis mille, trecenti, sexaginta*; cum tamen numerus familiarum illic computatus ultra tres myriadas non assurgat, ideoque cæteri duodecim mille fuerunt e reliquis (decem) tribubus, quemadmodum etiam explicatum est in *Seder Olam* cap. 29, ait Rabbi Salomo. Frustra igitur Spinofam *Tract. Theol. Polit. cap. 10.* hanc urgere discrepantiam, ostendimus ad *Seder Olam*, pag. 1141. Huc etiam facit, quod Esræ 6, 17. hædos caprarum in sacrificia pro peccatis obtulerint *pro toto Israele duodecim, juxta numerum, tribuum Israelis*, coll. cap. 8, 35. Et si paucissimi ex decem tribubus cum Juda & Benjamin post solutam captivitatem Babylonicam in Palæstinam regressi fuerint. Sed propheta
Eze-

Ezechiel terminos hæreditatum pro duodecim tribubus describit; & cap. 39 promittit, ultimis temporibus ne quidem unum in exilio esse relinquendum, cum ait vers. 28. *Cognoscent, quod ego dominus Deus ipsorum, qui deportavi ipsos inter gentes, & colligam eos super terram suam, non (quenquam) amplius ex iis ibi relinquam.* Hæc prophetia, & ista cap. 37 de *conjungendis duobus regnis*, sive duodecim tribubus, nunquam implera est, sed implenda restat. Nec post tempora Josuæ unquam nova terræ divisio inter 12 tribus facta est.

V. *Secundum argumentum*, quo probamus ex possessione ac hæreditate terræ, hanc prophetiam non esse impletam sub Templo secundo, ex modo distributionis terræ desumimus, quod ea non instituenda sit sicut tempore Josuæ secundum capita Israelitarum, ita ut tribus magna consequeretur portionem magnam, & tribus parva portionem parvam, juxta legem Num. 33, 54. sed omnes tribus hic portiones æquales possidebunt, sive amplæ sint, sive parvæ, sicut dicitur Ezech. 47, 14. *& hæreditabit eam vir sicut frater ipsius.* Idem Hebraismus *vir sicut frater ejus*, occurrit Levit. 7, 10. eleganter expressus a LXX Interpretibus: *ἐν ἑκαστῷ τῷ ἴσθι* cuique æquale. & a vulgato: *cunctis filiis Aharon mensura æqua per singulos dividetur.* Ita R. Salomo ad h. l. Majemonides *Cele hammikd. cap. 4. §. 3. 6.* Fagius & Vatablus de *æqua mensura inter singulos sacerdo-*

tes dividenda exponunt. Adde Deut. 18, 8. *partem sicut partem comedent.* Abenmelech dicit, idem esse ac si dixisset, id est, *ut sit pars una sicut altera*, & sacerdotes partes inter se æqualiter dividant. Ita Fagius, Vatablus & Drusius hoc intellexerunt. Pari modo in nostra prophetia, terra Israelis in duodecim æquales partes dividenda dicitur. Post solutam captivitatem terra de novo distributa non est, nedum in æquales partes.

VI. *Tertium* argumentum suppeditat *hæreditas peregrinorum* cap. 47, 22 23. Tempore Josuæ divisa est terra inter tribus Israelis, non autem inter peregrinos, sed vi legis divinæ Israelitæ eos amare, non opprimere vel affligere tenebantur Exod. 22, 20. Hic autem *peregrinis peregrinantibus inter eos* (Syrus, *qui se convertunt ad me*) æque ac indigenis hæreditas assignatur.

VII. Sicut ergo hæc prophetia in sensu literali, Esræ, Nehemiæ & Zorobabelis temporibus non congruit, ita neque sensu mystico ad præteritum vel præsentem statum ecclesiæ N. T. referri potest, cum his ultimis Ezechielis visionibus a capite 37 usque ad finem libri, quibus agitur de postremis bellis cum hostibus, & felicissimo Ecclesiæ statu, supponatur *universalis conversio totius Israelis*. Quomodo enim ab ea felicitate excludi potest ea Ecclesia, quæ in hac prophetia maximam partem facit? quid? quod Johannes Apoc. 20 & 21.

nondum impleta, sed implenda. 155

& 21. ubi partim provocat, partim alludit ad hæc ultima capita Ezechielis, hæc omnia adhuc futura esse innuat?

VIII. *Judæos* atque *Israelitas* secundum carnem a nostro Propheta intelligi, manifestum est ex oppositione *peregrinorum*, quibus hæreditas terræ æque ac indigenis in filiis Israelis tribuitur, Ezech. 47, 22. 23. Si quis existimet, *duodecim tribus Israelis* indigitare Judæos & Israelem secundum spiritum, non video, quo sensu *peregrini* sint accipiendi, qui contradistinguuntur Judæis & Israelitis, sicut prophetae Israelem peregrinis ac gentibus contradistinguere solent, Jes. 2, 1-5. cap. 11, 10. seq. cap. 14, 1. cap. 42, 6. 10. seq. 16. cap. 43, 1. seq. 9. 10. cap. 45, 19. 25. cap. 49, 6. cap. 52, 9. 10. cap. 56, 1-9. cap. 59, 19. 20. cap. 60, 1-11. cap. 65, 1. 2. cap. 66, 18-21. Ezech. 39. 21-23. quod imitati sunt Apostoli Rom. 11, 25. 26. Apoc. 7, 4. 8. 9. c. 14, 1. 3. 6. 7. Accedit quod in hisce extremis capitibus Ezechielis variæ circumstantiæ referantur, v. c. de sanctitate Sacerdotum, Regum, privatorum cap. 43 & 44. de Principis justitia cap. 45 & 48. de alta pace & similibus, quæ satis evincunt, hæc omnia de præsentī Ecclesiæ statu non esse accipienda.

Cap. II. *Hierosolyma communis erit omnibus tribubus, ideoque singulis porta assignatur Ezech. 48, 8. 15. 19. 31. seq. Principi & filiis ejus singularis hæreditas obtinget in decima tertia portione*
toti-